

AB

153019

IVS TICIVIS QVIVIS FICITAM
QVINICERIS DICDENSEST

1 5 8 6



00
z

P. f. 118



HB. 153019

Theologie

E. VI 430

Ioannes Zonara Tom. i.
Annalium s. Ioannes Da-
mascenus, allegant ex ora-
tione Iosephi Graeca contra
Platonem scripta. haec uerba
quae nusquam alioquin extant in
omnibus ipsius operibus.

Omnes iusti, & iniusti ad Dei Verbum
adducuntur. Hinc. n. Pater praetura
dedit, atque is Patris uoluntatem
exequens Iudex aduentat quem
Christum appellamus. Neque. n.
Minos aut Rhadamanthus o Graeci
quemadmodum uestra fert opinio
sententiam ferent; Sed is, quem
Deus et Pater gloria ornauit.
De quo alibi subtilius disseruimus
ad eos, qui ueritatem inquirunt.
Is de Patris sententia iustum de
unoquoque iudicium faciens, ius uniuersum
per factis suis.

pro factis suis reddat, Cuius
iudicio omnes homines Angeli
et Dæmones astantes, una uoce
clamabunt. Iustum tuum est
iudicium, post quam uocem
ita, ut æquum est, remunerabit
utrosq; - eos, qui uirtutem uite
coluerunt, æterna beatitate,
improbis amatores, æterno
supplicio, et hos ignis æternus
& infinitus manet, & uernis
quædam ignis, immortalis, &
corpus non perimens, cum ipso
cruciatu & corpore erumpens
infestabit. ☉

Nobilitate generis, eruditione, dignitate
pietate et uirtute ornatiss. & ampliss.
uero, dno Eustachio à Beutel, Canonico
Eclie Cathedralis in Halbrstadt, &
Præposito Eclie Collegiatae ad D. Virginem
Dei genitricem, ibidem, dignissimo.
Dno, & Patrono suo reuerenter colendo
sua manu scripsit hanc Josephi de thro
confessionem. ☉ Et hunc
libellum, autor. ☉
Mersbürgi. 9. Octob. Anno. 86.

CONCIO

Habita in arce Merßburgensi

CVM ILLV=

STRISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO, DOMINO

CHRISTIANO,

DVCI SAXONIÆ, SA-

CRI ROMANI IMPERII ARCHIMAR-
schallo & Electori Septemviro, Landgrauio Thu-
ringiæ, Marchioni Misniæ, & Burggrauio Magde-
burgensi, &c. DOMINO nostro clementissimo,

homagium, vt vocant, siue iuramentum

fidelitatis præstarent Prouinciæ

status & subditi,

A B

ADAMO ROTHERO, D. ET SV=

perattendente Ecclesiarum illius Episcopa=

tus, DOMINICA Cantate,

Anno 1586.

LIPSIÆ,

Iohannes Beyer imprimebat,

M. D. LXX XVI.

CONCORSO
Habitu in arte
CVM LITVA
STRISIMO PRINCIPALI
AD DOMINO, DOMINO
CHASTANWO
DVM Saxonie, SA-
crae Romanae Imperii
schle & Electoratus
regis, Marchionatus
burgundiae, Domini
habeat & possidet
liberis & subditis
Liberis & subditis
ADAMO & OTTAVIO
regnum & principatum
anno 1581
omnem Antiquitatem
cus copiam
Johannes beyer
M. D. J. XXV. l. ca.



ILLVSTRISSI

MO PRINCIPIS AC

Domino, Domino

IOHANNI,

DUCI SAXONIAE,

Landgrauio Thuringia, Mar-

chioni Misnia, &c. Domi-

no suo clementissimo.

Illustrissime Princeps,
Dux InclYTE, & Do-
mine clementissime,
Paucis verbis multa compre-
hendit, & rotundè sapienterq;
integram Magistratus definiti-
onem Aristoteles, licet Ethni-
cus, complexus est, cum dixit
Magistratus est custos Legis.
Quæ clarior & illustrior erit, si

A 2

sen-

sententiam illam intelligamus
non tantum de legibus politi-
cis scriptis, sed, adhibita luce
Euangelij, eam de tota lege di-
uina, hoc est, vtraq; decalogi
tabula, & legibus ex hoc fonte
manantibus, & cum illo congru-
entibus interpretabimur. Ideo
enim Principes in hoc seculo
tanta potentia, gloria, opibus,
& alijs donis munit, armat, &
ornat Deus, adeoq; suam ipsis
appellationem attribuit, vt Dij
vocentur, nimirum vt, quod
pius & sapiens rex Iosaphat di-
cebat, meminerint, se non ho-
minis, sed Dei exercere iudici-
um, & cum in tantam eminen-
tiam sint euecti, & in hoc fasti-
gium

gium collocati, pietate & virtutibus alijs præluceant, & Dei in terris vicem sustineant. Et ô foelices ac terq; quaterq; beatos illos Principes qui sæpe feriam & accuratam illarum rerum considerationem suscipiunt, vt lætissimam aliquando Iudicis aduentantis sententiam audire mereantur; Euge ferue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Eam ad rem prodest sæpe intueri in exempla tam eorum qui rectè fecerunt officium, & in pietatis & virtutum cursu perseuerantes paternam DEI protectionem

A 3

&

& benedictionem multiplicem
experti sunt, quam eorum, qui
horribili ἀποσεία & ingrati-
tudi- ne pietati & virtutibus nunci-
um remittentes, tandem de su-
blimitatis suæ gradu, iusta ira-
ta DEI vindicis sententia ex-
cussi & deturbati sunt, vt hos
detestati fugiant, illos vero am-
plexi imitentur.

Vtriusq; rei viuum quodam-
modo exemplum Salomonis
regis historia suppeditat, cuius
regni initia foelicia fuerunt &
lætissima, donec in timore De-
i, quem ipse sapientiæ initium
esse prædicat, laudabiliter per-
stitit. Cum autem donis à Deo
collatis abusus, horribili im-
pieta-

pietate & ingratitude defecit
à DEO, factus est ludibrium
fortunæ, & exemplum infirmi-
tatis & lapsus humani.

Cuius cum historiæ partem
non ita pridem pro concione
attingerem, quæ autem prop-
ter temporis angustiam tunc
erat contrahenda, & summis
tantum, quod dicitur, labris
degustanda, nunc eam retexui,
& paulo fusius delineavi.

Hanc **CELSIT. VESTRÆ**
quam in illustri illo conuentu
tunc conspexi, honoris causa
offerro, debita animi subiectio-
ne petens, vt munusculū hoc,
vt vocant, leuidense, sereno
vultu suscipiat, & senescentem

Ecclesiam, canicie & squalore
deformatam, miseraq; seruitu-
te pressam benignè respiciat &
foueat. Pro qua heroica affe-
ctione Caput Ecclesiæ Filius
DEI DOMINVS noster I E-
S V S CHRISTVS vicissim
CEL. VESTRÆ benefaciet.
Sicut de vidua & pupillis, qua-
lem verè iam constat Ecclesiam
esse, dicit Siracides: Instar pa-
tris esto pupillis, & loco viri
matri illorum, & eris tanquam
filius Altissimi, qui te cariorem
quam mater tua est habiturus.
Ex Mersburgo, Dominica Ro-
gationum. Anno 1586.

CELSIT, VESTRÆ

SERVVS

ADAMVS ROTHERVS

D. Superatt Mersburgensis.

EXOR.

EXORDIUM.

Cum institutus sit, carissimi, con-
uentus hic celeberrimus, ut more
veteri recepto, summo Magistratui no-
uo, Illustrissimo Principi Electori, Du-
ci Saxoniae CHRISTIANO, Do-
mino nostro clementissimo, homagium
& iuramentum fidelitatis praestent pro-
uinciae huius status & subditi: toto pe-
ctore & ardentibus votis, quae quidem,
diuina aspirante gratia, mens humana
concipere potest maxima, aeternum pa-
trem Domini nostri IESU CHRIS-
TI supplices precamur, ut Spiritus
sui sancti virtute totam hanc actionem
eò dirigat & gubernet, ut vtrinque cedat
in gloriam nominis ipsius diuini, & tam
Illustrissimi Magistratus quam subdi-
torum salutem & emolumentum.

Ac ut ad tantarum rerum conside-
rationem excitari & accendi aliquo
modo possimus, seposita ordinarij E-
uangelij enarratione, quam paulo post
in Templo cathedrali, loco & hora
consueta audire licebit, Historiam ex

A 5

vete

veteri Testamento, DEO iuuante ex-
plicandam in manus sumemus, de re-
gum omniū, vel Deo ipso teste, sapien-
tissimo, quomodo is regnum suum foe-
liciter inchoauerit, quæ apprimè præ-
senti huic negotio respondet & conue-
nit. Quod vt utiliter & cum fructu à
me proponi, & à vobis excipi & fidelis-
ter custodiri possit, diuinum vtrinque im-
plorandum nobis erit auxilium.

Dicatur Precatio Dominica.

T E X T V S.

1. Reg. 3.

ET rex abiit in Gibeon, vt ibi
sacrificaret, quia ibi erat præ-
cipuum excelsum, & Salomon ob-
tulit mille holocausta in illo altari.
Et DOMINVS apparuit Salo-
moni in Gibeon, in somnio noctur-
no, Et DEVS dixit: Pete aliquid,
& dabo tibi. Et Salomon dixit:
Tu

Tu exercuisti erga patrem meum
Dauidem seruum tuum magnam
misericordiam, quia ambulauit co-
ram te in ueritate & iusticia, &
in rectitudine cordis coram te, &
seruasti illi hanc misericordiam
magnam, ac dedisti ei filium seden-
tem in throno eius, sicut hodie se res
habet. Nunc igitur DOMINE
DEVS meus, tu constituisti ser-
uum tuum regem, in loco patris mei
Dauidis, & ego sum puer paruus,
ignorans introitum & exitum me-
um, Et seruus tuus uersatur in po-
pulo tuo quem elegisti, quiq; tam
magnus est, ut à nemine numerari
aut describi possit propter multitu-
dinem. Dabis igitur seruo tuo cor
obediens, ut possit populum tuum
iudi-

iudicare & intelligere discrimen
boni & mali. Quis enim potest
hunc tantum populum iudicare?

Placuit autem DOMINO,
quod Salomon hanc rem petivisset.
Et DEVS dixit ad eum: Quia
hanc rem postulasti, & non petivisti
longum vitæ spacium, nec divitias,
nec hostium tuorum animas, sed in-
telligentiam ad cognoscendas cau-
sas, Ecce, feci congruentia verbis
tuis. Ecce, dedi tibi cor sapiens &
intelligens, ut nec ante te similis tui
fuerit, nec post te futurus sit. Præ-
terea, quod non petivisti, illud etiam
tibi dedi, nempe divitias & hono-
rem, ut nemo sit tibi similis inter
reges tuæ ætatis. Quod si ambula-
veris in vijs meis, ut serves mea
statu-

Statuta & præcepta, sicut ambula-
uit pater tuus, dabo tibi longum vi-
ta spacium.

Et cum Salomon expergiscere-
tur, ecce somnium erat, & veniens
in Ierusalem, stetit coram arca fœ-
deris DOMINI, & obtulit holo-
causta & hostias pacificas, &
magnum cõviniũ apparavit om-
nibus servis suis, &c.

PROPOSITIO.

*Omniũ rerũ initium fiat
in nomine Christi.*

A Pocal. i. dicit Filius DEI: Ego
sum α & ω . Et seipsum explicans
addit: Ego sum principium & finis.
Quod primo intelligatur de essentia &
æternitate ipsius, sicut S. Iohannes A-
postolus & Euangelista inter alia pro-
bationem inde desumit de diuina ipsi-
us natura.

Esai.

Esai. 43. Ego ipse sum, ante me non est DEVS formatus, & post me non erit. Ego, ego Iehoua, & non est præter me seruator.

Deinde & effectiuè intelligatur, id est, dux & consummator. Sicut postea dicitur cap. 3. principium omnium creaturarum. Scilicet actiuè, non passiuè, sicut Arrius insaniebat.

Johan. 1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est, id est, conditor & conseruator omnium rerum.

Ebr. 1. Portans cuncta verbo potentia. Sicut enim est persona, per quam æternus pater producit totum opus creationis, ita est & initium, medium & finis reparationis & salutis generis humani: Ita & omnium aliarum actionum nostrarum.

Sicut autem apud ipsum solum resposita sunt hæc omnia bona, ita & vult ea à se peti.

Ioh. 15. Sine me nihil potestis facere.

Coloss. 3. Omne quodcunq; facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine

mine Domini Iesu Christi facite, gratias agentes DEO, & patri per ipsum. Hoc est, Omnia consilia, omnes actiones, omnes denique conatus ad hunc finem referendi sunt, ut DEVS vnâ cum filio & Spiritu S. agnoscat & celebretur. Nomen complectitur causam efficientem & finalem, id est, in vera inuocatione Filij DEI, fide & inuocatione, & referantur omnia ad gloriam Filij DEI.

i. Cor. 10. Omnia ad gloriam DEI facite.

Nazianzenus.

Ἀεὶ καὶ ἀπὸ πάντων ἢ τῆς καὶ ποίης Θεοῦ.

Quicquid enim suscipitur, in inuocatione Filij DEI suscipiendum est.

Phil. Mel.

*Nullus est felix conatus & utilis vnquam,
Consilium si non detur, iuuetur, DEVS.*

ANTITHESIS.

τῶν ἀσεβέων.

i. Recitatur impium Aiakis Græcorum Principis dictum. Cum enim profectus

fecturus ad bellum Troianum valedic-
ceret patri Telamoni, atq; is eum hore-
taretur vt strenuè se gereret, à DEO
autem auxilium peteret, superbè res-
pondit: Ignauis & timidis opus esse
DEI auxilio, se vero vel sine DEO
vincere posse. Ob quam insolentiam
punitus à DEO incidit in phrenesin.

2. Timotheus Princeps Atheniensis
fuit valde fortunatus. Ideo pin-
xerunt eum Athenienses dormientem,
& fortunam circa eum stantem & im-
plentem rete. Postea vero venit alia
quando in concionem & dixit: Hoc
ego feci & non fortuna. Illis dictis,
fertur eum posthac euasisse infortuna-
tissimum.

3. Daniel. 4. Rex Babylonicus Ne-
bucadnezar: Nonne hæc est Babylon
magna, quam ego ædificauit in domum
regni, in robore fortitudinis meæ, & in
gloriam decoris mei?

4. Exod. 5. Pharaon rex Ægypti ad
Mosen & Aaronem postulantes DEI
iussu, vt dimitteret populum, superbè
respondit: Quis est Dominus vt audiam
vocem eius, & dimittam Israel?
Nescio

Nescio Dominum, & Israel non dimittit
tam.

Quomodo autem tam illis, quam
omnibus alijs, qui simili impietate Deo
quasi bellum mouerunt, successerit, sa-
tis testantur tragici ipsorum exitus.

DISPOSITIO.

Duæ sunt Partes.

I. PARS.

1. Orditur Salomon regnum suum à
gratiarum actione.
2. Sequitur petitio, & quæ bona pe-
tat à DEO.
3. Petens sapientiam, addit rationes
petitionis.
4. Accommodatio ad præsens nego-
cium.

II. PARS.

1. Quomodo erga ipsum DEVS se
se exhibeat. 1. Approbat gra-
tiarum actionem. 2. Optionem
dat petendi quid velit sibi dari.
3. Postulata præstat. 4. Et plus
largitur quam petierat.

B

2. Ac

2. Accommodatio: DEVS faciles habet aures, ad nos exaudiendos.
3. Deus plus largitur quam rogatur.
4. Sicut inchoavit Salomon, ita & claudit totam hanc actionem gratiarum actione. Declaratio gratitudinis Salomonis: 1. Erga Deum. 2. Erga subditos benevolentia.

PRIMUM MEMBRUM.

1. Orditur regnum à gratiarum actione.

Cum Adonias frater natu maior rebus novis studeret, & regnum ad se rapere conaretur absq; consensu patris Davidis, ac iam in partes suas pertraxisset Ioabum summum militiae ducem, Abiatharum sacerdotem, & alios aulicos, qui ipsum regem salutarant, admonitus rex à matre Salomonis Bathseba, & Propheta Nathano, mandatum dat Zadoco sacerdoti, Nathano Prophetae, & Bennahauio duci militiae, quibus adiunxit cohortem praetoriam & robur exercitus, vt Salomonem impos-
situm

litum mulæ regiæ perducerent in Gibeon, & inungerent in regem.

Tanti ergo beneficij memor orditur regnum suum à gratiarum actione, iuxta regulã Chrysolomi, cum inquit: Gratiarum actio est caput omnis boni. Et quidem in eo ipso loco, ubi primo rex inauguratus fuerat. Erat enim in Gibeon vetus tabernaculum à Mose constructum, & altare æneum. Arca autem foederis erat in Ierusalem, cui rex David nouum tabernaculum extruxerat. Neq; eò mittit legatos aut vicarios, sed ipse proficiscitur: nec solum religionem resq; diuinas colit, sed exemplo suo proceres regni ad cultum pietatis inuitat. Quo maior enim quisq; est, eò magis exempla possunt in quacumq; partem, vel in melius, vel in deterius.

*Sic agitur censura, & sic exempla parantur,
Cum iudex, alios quod monet, ipse facit.*

II. Pro qua re gratias agat.

Tu exercuisti erga patrem meum Davidem seruum tuum magnam misericordiam.

B 2

Sicut

Sicut Misericordia constat duabus
partibus :

- Scilicet
1. Condonando Vergeben
& vnd
 2. Donando: Geben.

(Dauidi enim in graua crimina
lapso remisit peccatum, dicente Nas
thano: Non morieris: Abstulit D O
MINVS peccatum tuum. Deinde
hoc ei magnum beneficium addidit,
promissionem scilicet, de successione
liberorum in regno paterno. Nobis
quoq; non tantum remittit peccata, &
toties lapsis manum porrigit, sicut di
citur Psal. 37. Cum ceciderit non colla
detur, aut abñcietur D E O supponens
te manum: Sed & quotidie, a deo q; sin
gulis ferè momentis ingentia & innu
mera confert beneficia, immò obruit
nos ferè omnis generis beneficis)

Ita & gratitudo composita est ex
duabus virtutibus :

- Scilicet
1. Veritate
&
 2. Iusticia.

Primum veritate, qua fatemur vnde
acceperimus præsens beneficium, &
dato

datorem eius celebramus. Deinde iusticia, qua vicissim obligamus nos ad recompensationem. Quia autem nos DEO reddere æquiualens non possumus, nec ipse indiget, offerimus ei vitulos labiorum nostrorum, Osee 14.

III. Optimus est processus vt petaturi aliquid à DEO præmittamus gratiarum actionem.

Si enim hominibus grata est acceptorum beneficiorum commemoratio, quanto magis DEVS illa delectatur. Ideo omnes sancti à gratiarum actione preces suas ordiuntur. Et D. Paulus coniungit præcepta de precatione & gratiarum actione.

Ita Iacobus reuertens ex Mesopotamia domum, & in itinere metuens iratum fratrem Esauum, qui ipsi dicebatur occurrere cum quadringentis armatis, petiturus auxilium & defensionem à DEO, incipit à gratiarum actione præteritorum beneficiorum. Minor
B 3 sum,

sum, inquit, cunctis miserationibus
tuis.

Psalm. 116. Quid retribuam
DOMINO pro omnibus quæ re-
tribuit mihi. Calicem salutaris acci-
piam, & nomen DOMINI inuo-
cabo.

Chrysostomus.

Nihil sic delectat DEVM vt
gratiarum actio. Item, Gratiarum
actio est ad plus dandum inuitatio.

Augustinus.

Dilectio meretur dilectionem.
Ingratitudo detestabile & execrabi-
le est vitium DEO pariter & homi-
nibus exosum.

Bernhardus.

Ingratitudo est ventus vrens,
exiccans fontem bonitatis.

IIII. Descendit ad speciem.

Et

Et servasti illi hanc misericordiam
magnam, ac dedisti ei filium se-
dentem in throno eius, sicut ho-
die se res habet.

Vltro agnoscit & fatetur, regnum
non tam voluntate patris, quam ex de-
creto diuino, multo minus suis viribus
aut hæreditario iure sibi obtigisse. Nec
fuit simulata, aut de nihilo, aut in fum-
is tantum, quod dicitur labris, nata
hæc Salomonis gratiarum actio. Mul-
ta enim erant, quæ remoras illi & impe-
dimenta obijcere poterant, nisi diuina,
vt dicitur, ferula hoc ei regnum assig-
natum fuisset. Ex diuersis enim vxori-
bus plurimos David susceperat filios.
Facile igitur ex tam numerosa sobole
alius ei præferri potuisset, nisi decre-
tum diuinum obstitisset.

Ab Exemplis.

Absolon viuo patre inuasit reg-
num, conatus vi eijcere patrem; sed me-
ritas impietatis & seditionis pœnas lu-
it, dum pendens è quercu tribus hastis à
Ioabo duce militiæ transfoditur. Sicut

sarcasticè vltimus ex versiculis Philippi
Mel. describentis illam historiam dicit :
Inunc & patrĩs insidiare bonis.

Adonias etiam, sicut paulo ante
meminimus, idem molitus, & mortem
commeritus, tamen à Salomone recipi-
tur in gratiam, ea lege, si priuatus & quis
etè viueret. Cum autem postea per ma-
trem Salomonis Bathseba, Abisai Su-
namitidem coniugem Dauidis vxorem
peteret, intelligens Salomon eum res
nouas moliri (cum ironicè dicit, cur
non simul ei & regnum petis ?) iubet
eum interfici.

SECUNDVM MEMBRVM.

I. Petitio.

Gratiarum actioni annectit petitio-
nem. Petit autem à DEO non
opes aut alia huius vitæ commoda, sed
sapientiam, qua & DEVM rectè cog-
noscere, & regnum piè administrare
posset. Agnoscit enim se moli guber-
nationis imparem esse, iuxta regulam :
Primum quærite regnum DEI & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vo-
bis.

Iaco

Iacobi 1. Si quis vestrum indiget sapientia, postulet eam à DEO cum fiducia, nihil hæsitans.

Prouerb. 1. Omnis sapientia est à DEO.

Quæstio. Cur non petat opes? potentiam & alia bona?

Quia illa omnia, si desit vera sapientia, non tam profunt quam obsunt imprudentibus. Quid enim stulto profunt diuitiæ? Idem quod infanti cultellus, candela, aut alia acuta & noxia tesla, aut quod phrenetico gladius.

Quod Themistocles intelligens, cum duo peterent coniugium filix, alter diues, sed fatuus, alter vero pauper, sed prudens, dicebat: Malo virum carentem pecunia, quam pecuniam carentem viro.

II. Qualem sapientiam petat.

I. Primum petit Sapientiam Theologicam, id est, agnitionem veri DEI. Erat enim constitutus rex non in ethnica aliqua gente, sed in populo DEI,

B 5

quem

quem excerpserat & selegerat DEVS
ex cæteris gentibus idolatricis, ex toto
genere humano.

Testimonia.

Psal. 75. Notus in Iudæa Deus,
& in Israel magnum nomen eius.

Psal. 147. Non fecit taliter omni
nationi, & iudicia sua non manifesta-
uit eis.

Cum igitur Magistratus debeat esse
custos totius legis diuinæ, non tantum
secundæ tabulæ, quæ agit de operibus
dilectionis exhibendis proximo prop-
ter Deum, quæ etiam, per consequens,
sunt cultus placentes Deo, sed & præ-
cipuè primæ tabulæ, quæ agit de cultu
immediatè Deo exhibendo: hoc pri-
mum in ipso requiritur, vt quod alios
vult scire, ipse primus intelligat. Ideo
& Deut. 17. liber legis iubetur in ma-
num tradi regi recēs collocato in thro-
num regiū. Ideo iusto ordine procedit,
& principaliter petit præcipuam illam
sapientiam rectè agnoscendi & colendi
Deum. Alioqui enim si magistratus
tantum

tantum curaret opera secundæ tabulæ,
nihil differret ab armentario.

2. Sapientiam politicam.

Petit cor intelligens & obædiens,
id est, rectitudinem intellectus & vo-
luntatis, vt non tantum rectè prospiciat
quæ agenda sunt, sed & voluntas
obtemperet rationi rectè monenti.

Vtraq; ea res in politica guber-
natione cum primis est necessaria.
Nihil enim difficilius est quam regere
hominem, animal supra omnia.

φωκουλίδης. Λαῶ μὴ πίστευε, πολὺτερον πρῶσι
ὄμιλον. Populo ne crede: versatilis
enim est turba, vel inconstans: vel, vt
in prouerbio dicitur, belua multo-
rum capitum.

Nec satis est cōsiliarios habere do-
ctos et prudentes, quod etiam eximi-
um Dei donum est. Sira. 10. Quoni-
am nisi ipsi quoq; Principes sapiant,
sæpe deterius admittunt loco melio-
ris.

ris. Ideo Plato dicebat, tum demum
beatas fore resp. si aut Philosophi
imperarent, aut imperatores Philo-
sopharentur.

Exempla.

Vt Absolomo contigisse non ig-
noramus, qui, omisso consilio Achi-
tophelis, secutus est Chusai sententi-
am, idq; in suam perniciem.

Roboamus iuuenilem & stultam
tyronum ferociam præferens maturo
seniorum consilio, crudelibus minis
exacerbato populo, passus est dam-
num, regni scilicet auiti dilaceratio-
nem, & alia mala quæ hanc secuta
sunt.

Carolus autem V. sapientissimus
nostra ætate Princeps, auditis omni-
um consiliariorum sententijs ordine,
nihil in præsentia decreuit, sed ita de-
cesset, vt, consideratis singulorum ra-
tio

tionibus, iudicium statuendi sibi soli
referuauerit,

3. Sapientiam œconomicam.

Intelligit sapiens rex, nullam tam
fœlicem esse familiam, quin aliquid
labis intercidat. Petit igitur vt piè
& sapienter possit gubernare famili-
am suam domesticam.

1. Timoth. 3. de verbî ministro
dicitur: Si quis domui suæ præesse
non nouit, quomodo Ecclesiam Dei
curabit? Quod non ineptè de guber-
natore politico etiam dici potest.
Hinc sunt sapientum ethnicorum di-
cta.

Æschines.

Qui liberos odit, & improbus
pater est, nunquam reip. bene consu-
let. Et qui non amat eos quos natu-
ra nobis carissimos coniunctissimos-
q; esse uoluit, nunquam vos pluris fa-
ciet,

ciet, quam exteros. Nec qui priuā-
tim malus est, publicè vnquam bonus
futurus est: nec domi nequam ho-
mo, in Meceonia legatus honestus
fuerit, cum non mores, sed locum tan-
tum mutet.

Cicero 1. de Orat.

Qui duorum scalmorum nauicula
lam in portu euertit, quomodo in
Ponto Euxino Argonautarum na-
uem gubernabit?

Vidit domestica exempla & mul-
tiplicem calamitatem in illa familia
regia.

Enumeratio.

1. Amon stuprauerat turpissimo
incestu sororem Thamar, 2. quem
postea Absolomi serui in conuiuio
trucidant.

3. Absolomus seditiosus erga pa-
trem, 4. incesto polluerat thorum
patris.

5. Tra-

5. Tragico tandem perijt exitu.
De quo Phil. Melan. Sapiens rex
deplorat mortem non corporis tan-
tum, sed & animæ.

6. Audierat præterea commina-
tionem diuinam à Nathano pronun-
ciatam, 1. Reg. 12. Quamobrem non
recedet gladius de domo tua vsq; in
sempiternum.

Vnde apparet, quibus causis mo-
tus, hanc à Deo sapientiam petiuerit.

TERTIVM MEMBRVM.

1. Ratio Petitionis.

Et ego sum puer parvus.

Quot annorum fuerit Salomon
quando regnare cæpit, ex di-
uinis literis demonstrari non potest.
Aliqui statuunt eum fuisse annorum
12. Iosephus 14. Aliqui 20. Sed res
incerta est. Sed hoc constat illum
adoles-

adolefcentem fuiſſe. Cum igitur per
ætatem nondum ad eſſet neceſſaria
tanto muneri cognitio, iure petit il-
lam ſibi à Deo afflari.

Eſſi autem quandoq; præter æta-
tem ſapientia in iunioribus elucet:
(Sophocles in Antigone: Eſſi ſum
iuuenis, tamen magis ſpectandum eſt
quid quiſq; dicat aut faciat, quam
qua ætate ſit, Iſocrates in Archida-
mo: Conſilij præſtantia non ex an-
norum numero pendet, ſed ex ingenij
ſagacitate & ſingulari induſtria. 1.
Timoth. 4. Nemo contemnat iuuen-
tutem tuam. Tit. 2. Nemo te con-
temnat.) Tamen ſimul negari non
potest, eſſe hoc ſingulare quiddam,
ſicut de talibus dici ſolet: Ingenia
præcocia rarò perueniunt ad maturi-
tatem, vel fiunt matura: Et eſſe pecu-
liare Dei donum ad ſalutem reipub.
collatum, Sicut econtra certum iudi-
cium

cium est iræ diuinæ, quando gubernatores tali dono destituuntur.

Eccles. 10. Væ terræ, cuius rex puer est.

Esai. 3. Dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.

Esai. 65. Maledictus puer centum annorum.

11. Ratio Petitionis.

Ignorans introitum & exitum meum.

Hæc phrasis scripturæ significat administrare gubernationē aliquam, vel in Ecclesia, vel repub, vel œconomia.

De primo.

Deut. 23. Non intrabit in Ecclesiā Eunuchus, non manzer siue spuris, nō Ammonita aut Moabita, hoc est, non habebit administrationem in Ecclesia.

C

De

De secundo.

Hof. 11. Non intrabo in ciuitatem, id est, regnum non habebō in Samaria. Sicut tandem, postquam durasset annos ducentos quadraginta quatuor, cessauit, abductis inde incolis passim in orientem, & translata eō colonia ethnica.

De tertio.

Psal. 121. Dominus custodiat introitum & exitum tuum ex hoc nunc & vsq̄ in seculum.

Agnoscit ergo sapiens rex gubernationem nullam foelicem esse humanis viribus, nisi Deus largiatur prosperos successus. Sicut Prou. 8. dicitur: Per me reges regnant, & principes iusta decernunt. Quo dicto laudatissimus Princeps Dux Heinricus primus eius nominis inter Imperatores Romanos, Vvittikindi, Saxo

Saxonum ultimi regis & primi Ducis filius, abhorrens alioqui ab imperio, & repudiatis iam legatis, tandem commonefactus & persuasus à concionatore suo aulico, accepit oblatum imperium, primus ex Saxonis Ducibus Imperator creatus, Auceps dictus, quod legati offerentes ei imperium, nomine omnium statuum, auiculis retia tendentem in tuguriolo aucupatorio ipsum offenderint. Anno 920 Cui postea præfuit annos 18. summa cum laude.

III. Ratio petitionis.

A multitudine populi.

Et seruus tuus versatur in populo tuo quem elegisti, ut à nemine numerari aut describi possit propter multitudinem.

Tempore Dauidis, cum numeraretur populus (qua etiã re tam sibi
C 2 quam

quam subditis attraxit iram Dei, ita
vt tridui spacio peste caderent septu-
aginta millia virorum) nec tamen
ad finem, ob intercidentem luem per-
ductus esset census populi, inuenti
sunt in Israel & Iuda quindecies cen-
tena & septuaginta millia virorum,
exceptis Leuitis, senibus, mulieribus,
paruulis, qui in censum non venie-
bant. Vnde patet promissionem o-
lim Abrahamo factam iam fuisse im-
pletam, de maximo posteritatis suæ
numero,

Multi multos quidem populos
sibi subiectos esse cupiunt: Sicut
Prouerb. 14. dicitur: In multitudine
populi gloria vel dignitas regis, & in
paucitate populi ignominia Princi-
pis: de recta autem gubernatione
non perinde solliciti. Quibus confi-
derandum erat illud Luc. 12. Cui-
cunq; multum datum est, multum
quæ

quæretur ab eo, & apud quem depo-
suerunt multum, amplius petent ab
eo. Item, Sap. 6. Potentes potenter
tormenta patientur.

IIII. Ratio Petitionis.

Ut possit populum tuum iudicare.

Laudanda est in precatatione Salo-
monis laudatissima clausula, qua con-
fitemur populum Israel non esse re-
gum, sed DOMINI. Disertè enim
inquit: Quis populum tuum iudica-
re potest? vt testetur se esse vicarium
Dei. Et beatos gubernatores qui sic
imperant subditis, vt meminerint eos
esse oues & populum Dei.

Non tantum ergo propter in-
gentem & innumerabilem penè mul-
titudinem difficilem esse agnoscit gu-
bernationem huius populi, sed &
propter dignitatem, quia immediatè
est populus Dei. Quia ergo regnum

In hoc populo est Dei, necesse etiam
est regi eum iuxta ipsius voluntatem.

Etsi igitur peccatur à quibusli-
bet principibus, quando sibi credi-
tas nationes non bene regunt, ta-
men longè grauior illorum culpa est,
cum in populum Dei peccatur. Ideo
difficilior est prouincia illorum prin-
cipum qui Christianis populis præ-
sunt.

Testimonia.

Matth. 18. Quisquis autem of-
fenderit vnum ex paruis istis qui
in me credunt, præstiterit ei, vt sus-
pendatur mola asinaria in collum ei-
us, & demergatur in profundo maris.

Matt. 25. Quod vni ex minimis
meis fecistis, mihi fecistis.

Econtra de iusto governatore.

Psal. 72. A fraude & violentia
redimet animas eorum, & pretiosus
sanguis eorum in oculis ipsius.

Quar-

QVARTVM MEMBRVM.

Accommodatio.

I.

Doctrina hęc proposita est omnibus. Quisq; agnoscat se imparē esse moli vocationis, nec posse se sua diligentia vitare laqueos diaboli & graues lapsus.

Jerem. 10. Scio Domine, quod non est hominis via eius, neq; est viri dirigere gressus suos. Id est, vocatio non regitur solius hominis consilijs aut viribus, nec est fœlix sine Deo.

Psal. 118. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniquitas. 2. Cor. 3. Non sumus sufficientes ex nobis prospicere aliquid. Sufficiencia nostra est ex Deo.

Baptista Ioh. 3. Nemo potest sibi sumere quicquam nisi sit ei datum desuper.

C 4

Prin-

Principalis igitur causa foelicitum
consiliorum & euentuum Deus est.
Interea aliquis est locus libertati vo-
luntatis, diligentiae, deliberationi, Si-
cut Christus laudat negociantem, &
ait: Habenti dabitur. Et rectè dicit
Chrysoftomus: Deus trahit, sed vo-
lentem trahit. Vult Deus ad suam
vocationem accedere nostram dili-
gentiam,

I I

Præcipuè autem Principibus vi-
ris hoc exemplum, considerandum
est, & imitandum ingredientibus ma-
gistratum. Quia quò maior est gu-
bernatio, eò est difficilior.

Causa.

1. Primum & præcipuum impe-
dimentum est diabolus hostis ordi-
nationis diuinæ, quam impugnat per
hæreticos & seditiosos. Apoc. 12.
Væ vobis qui habitatis super terram.

Quia

Quia descendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, ut qui sciat se paululum temporis habere.

2. Malitia hominum. Ideo ad Ephes. 5. dicitur: Dies mali sunt, &c. Non quidem quantum ad spacia horarum & cursum solis, sed quantum ad corruptos mundi mores attinet. Est enim metonymia, qua subiectum pro adiuncto ponitur.

3. Vaticinia de magnitudine malorum ante diem iudicii. Daniel. capi 12. Veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse ceperunt, usque ad tempus illud. Christus Matt. 24. ferè iisdem verbis repetit: Et erit tunc oppressio magna, qualis non fuit à principio mundi, usque ad hoc tempus, neque fiet.

4. Magna hominum infirmitas, & faciles lapsus, nisi regantur diuinitus. 1. Cor. 10. Qui stat, videat ne cadat.

C 5 cadat.

cadat. Augustinus Quis non in-
curreret in dentes leonis huius, nisi
vicisset leo de tribu Iuda. 2. Cor. 4.
Gestamus thesaurum illum in vascu-
lis testaceis.

A dextris.

*multa sunt illecebræ
ad peccandum.*

A sinistris.

*Scandalum crucis.
Metus periculorum.*

III.

Simul etiam subditis hoc obser-
mandum est, quorum est, non tan-
tum agnoscere, magistratum esse or-
dinē diuinitus institutum, & perso-
nas ipsas Dei prouidentia in hūc thro-
nū collocatas, quibus propter Deū
debeamus reuerentiam, Sed & hunc
honoris gradum vel speciem nos ip-
sis debere, vt fideliter pro ipsis vota
faciamus 1. Tim. 2. Adhortor igitur
ante omnia, vt fiant deprecationes,
orationes, postulationes, gratiarum
actiones, pro quibusuis hominibus,
pro

pro regibus & quibusuis in eminentia constitutis, vt tranquillam ac quietam vitam degamus, cum omni pietate & honestate.

Tertullianus in Apologetico. Nos pro salute imperatorum Deum inuocamus æternum, Deum verum & Deum viuum, quem & ipsi imperatores propitium sibi præter cæteros malunt, precantes illis vitam prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæcunq; hominis & Cæsaris bona sunt.

Ierem. 29. Quærite pacem Ciuitatis, ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad Iehouam. Quoniam in pace illius erit vobis pax.

Iubet pro his precari, à quibus captiui abducti durissima seruitute premebantur. Quia reipublica male affecta, nemo est expers illius mali

malis, sicut dicitur: Intran in thalamos publica damna tuos.

I I I I.

Quid petendum sit subditis pro magistratu à D & O.

1. Ut rectè doceatur vox doctrinae coelestis incorrupta, in Ecclesiis & Scholis, iuxta regula: Primum quaerite regnum Dei & iusticiam eius, &c. Sanctificetur nomen tuum.

Psal. 85. Audiam quid loquatur DOMINVS.

2. Ut rectè constituantur & exerceantur iudicia. Non permittatur nis qui sedent ad gubernacula rerum, ut sub praetextu magistratus affectibus indulgeant.

Iosaphat pius rex grauius compellat iudices: Non hominis exercetis iudicium, sed Dei, & quodcunq; iudicaueritis in vos redundabit,

3. Ut

3. Vt pacem dulcissimam conseruet nobis propitius Deus. Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

4. Vt iuuentus quæ est seminarium Ecclesiæ & reipub. rectè & piè educari possit, & Deus conseruet sibi inter nos semen sanctum, vt semper pñ aliqui cultores Dei, nobis decedentibus supersint, qui dicant & faciant aliqua grata Deo.

SECUNDA PARS.

PRIMUM MEMBRUM.

I.

*Placuit autem DOMINO,
quod Salomon hanc rem petiisset.*

2. Reg. 12. scribitur: DOMINVS dilexit eum, & tradidit in manum

num Nathan Prophetæ, & imposuit
ei nomen Iedidia, id est, carus & iu-
cundus Domino. Quia diligebat
eum Dominus.

Apud tantum ergo præcepto-
rem, quales, præcipuè in pietate,
progressus fecerit, sanctæ illus edu-
cationis nunc sese fructus exerunt.
Ac benè actum fuisset cum ipso, si pi-
is ipsius monitis diutius obtempe-
rasset, & constanter perseverasset,
nec tam impiè & turpiter descivisset.

Cum autem dicat Textus, placu-
isse Deo precationem Salomonis,
patet inde, quam gratus Deo sit cul-
tus inuocatio. Inuocantes enim De-
um tribuimus ei summum hono-
rem, omnipotentia, bonitatis, sapi-
entia, veritatis omnipresentia, quod
sit liberrimum agens, non alligatum
causis secundis, de quo suo loco co-
copiosius dicitur.

Dein

Deinde placet Deo, quod congruit ipsius petitio cū regula diuinitus tradita Math. 6, Primum quærite regnum Dei, &c. Item, cum petitione: Sanctificetur nomen tuum. Item, cum primo præcepto decalogi. Primum enim & principalissimum opus est, ad quod conditum est genus humanum, vt rectè agnoscatur & celebretur Deus.

II.

Et Deus dixit: Pete aliquid & dabo tibi.

Adeo placet Deo pietas & gratitudo Salomonis, vt etiam optionem illi permittat, quidnam sibi dari velit, promptissimè & liberalissimè largiturus quicquid petierit.

Chrysostronus in Gen. cap. 26. Hom. 52. Nihil tam gratum Deo, vt anima grata & gratias agens. Nam
cum

cum innumeris beneficijs quotidie
omnes nos prosequatur, siue ea scia-
mus, siue ignoremus: Siue velimus,
siue nolimus: nihil tamen aliud à no-
bis exigit quam habere gratias pro
his quæ nobis facta sunt, vt pro illa
ipsa gratiarum actione ad ampliora
danda prouocetur.

*Bernhardus contra vitium in-
grat. Serm.*

Fœlix qui ad singula dona, redit
ad eum in quo est plenitudo omni-
um gratiarum: cui dum nos pro ac-
ceptis non ingratos exhibemus, lo-
cum in nobis facimus gratiæ, vt ma-
iora adhuc accipere mereamur.

Memores ergo simus regulæ Pau-
linæ, 1. ad Thes. 5. In omnibus gra-
tias agite. Hæc enim est voluntas
Dei per Christum Iesum erga vos.
Item, Psal. 71, Repleatur os meum
laude,

laude, & gloria tua tota die. De quo
D. Augustinus : Sine intermissione
Deo gratiæ agenda : In prosperis,
quia consolaris : In aduersis, quia cor-
rigis : Antequam essem, quia fecisti :
Cum essem, quia salutem dedisti :
Cum peccassem, quia ignouisti : Cum
conuersus essem, quia adiuuisti : Cum
perseuerassem, quia coronasti. Ita
plane repleatur os meum laude, vt
prædicem tota die magnificentiam
tuam.

iii.

Postulata largitur.

*Ecce dedi tibi cor sapiens & intelli-
gens, &c.*

1. Extant tres libelli Salomonis.
1. Prouerbia. 2. Ecclesiastes. 3. Can-
ticum canticorum, qui sunt testimo-
nia sapientiæ & fidei ipsius. Non
tantum enim præcepta decalogi, sed

D omnia

omnia ferè doctrinæ cœlestis capita
luculenter continent & explicant.

2. Postea de sapientia politica,
physica, ethica, &c. testimonium est
sequens iudicium de duabus mulier-
culis, ubi mira naturæ industria &
sagacitate deprehendit vtra vera sit
mater infantis viui.

3. Testimonium Iosephi de Salo-
mone lib. 8. Antiq. Iud. Composuit
volumina carminum & canticorum
quinq; & millia, & sententiarum atq;
imaginum libros ter mille. Nam de
singulis plantis differuit, ab hyssopo
vsq; ad Cedrum. Disputauit etiam
de iumentis & alijs bestijs terrenis,
deq; aquatilibus & cœlo fruentibus
libero. Nullam enim partem natu-
ræ aut ignorauit, aut non satis ex-
plorauit, sed de omnibus Philoso-
phatus est, & proprietatum vnus-
cuiusq; acer & diligens inuestigator
fuit, &c.

4. Et

4. Et in lib. Sapientiæ Salomon
inquit, cap. 7. Optauí sapientiam, &
data est mihi: Inuocaui & obtigit
mihi Spiritus sapientiæ. Postea de-
scendit ad speciem, quæ generaliter
dixerat, Primum vt rectè dicere pos-
sem, & cogitare. Deditq; mihi vt
noscerem mundi & elementorum
constitutionem, ac vicissitudines sol-
stitiorum, & annorum circuitum, si-
tum stellarum, naturas animantium,
impetus ventorum, cogitationes ho-
minum, diuersitates plantarum, &c.
Item, Ibidem, sub persona Salomo-
nis. Omnia bona pariter cum illa mi-
hi euenerunt, &c.

IIII

Επισημα siue auctarium quod ne
postulatum quidem Deus
adiecit Salomoni.

D 2

Præ-

*Præterea, quod non petivisti, illud
etiam tibi dedi.*

1. Nempe diuitias. Sicut postea
9. cap. dicitur, Salomonem compa-
rasse classem, & coniunctis nautis suis
cum Hierami regis Tyri, qui excelle-
bant peritia rei maritimæ, ex remotis-
simis insulis ingentes opes, merces,
aromata, & alia collegisse. Item cap.
10. Ac rex perfecit vt tanta vis ar-
genti esset in Ierusalem, quanta est
lapidum, & tot cedrina ligna, quod
sunt sycomori in conuallibus, &c.

2. Deinde gloriam Salomonis
Christus ipse allegat & prædicat
Matth. 6. Et congruit cum regula
diuina. 1. Sam. 2. Glorificantes me
ego glorifico, & contemnentes me
contempti erunt.

3. Postremo addit Deus: Dabo
tibi longum vitæ spacium, sicut &
promittit Psalm, 91. Longitudine
die-

dierum replebo eum. Prouerb. 3.
Præcepta Dei retine quæ vitā in lon-
gum proferent.

Obseruetur autem conditio an-
nexa, Si ambulaueris in vñs meis &c.
Ergo conditione violata contrarium
intelligitur. Ideo ad longam fene-
ctutem Salomon non peruenit. Et
Hebræi opinantur illum tantum-
modo vixisse annos 52. Eadem est
& ratio quartī præcepti & omnium
aliarum promissionum legalium.

SECUNDVM MEMBRVM.

Accommodatio.

Eodem modo & nobiscū agit Deus.

1. Per Spiritum S. accendit in no-
bis preces.

Zach. 12. Effundam super do-
mū David, & super habitatores Ie-
rusalem Spiritum gratiæ & precum.

Rom. 8. Ignoramus, quid petamus

D 3 mus

mus, sed Spiritus adiuuat infirmitatem nostram & intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Hoc est, sicut Augustinus explicat Epistola 121. Clamat pro nobis ad Deum gemitibus ineffabilibus, Id est, mouet corda ad inuocationem, & interpellat pro nobis, quia interpellare sanctos facit.

Idem Tract. 6. in Iohan. Non ergo Spiritus S. in semetipso, apud semetipsum, in illa trinitate, in illa beatitudine, in illa æternitate substantiæ gemit, sed in nobis gemit, quia gemere nos facit.

I I.

Offert nobis promissiones bonorum tam corporalium quam Spirituum.

1. Pro-

1. Promissiones sæpe sunt repetitæ, Vt Psalm 50. Inuoca me in die tribulationis, & ego eripiam te, & glorificabis me.

2. Iuramento confirmat, Ioh. 16. Amen amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Vnde Tertullianus dicebat. O beatos nos quorum causa iurat Deus, O miserrimos, si ne quidem iuranti Deo credere volumus.

Augustinus Psalm. 88. In æternum regnabit Christus in sanctis suis, hoc dixit Deus, hoc promisit, si parum est, hoc iuravit. Quia ergo non secundum merita nostra, sed secundum illius promissionem firma est promissio, nemo debet cum trepidatione prædicare, de quo non potest dubitare.

3. A

3. A forma precandi in precati-
one Dominica.

Ac ne possemus dubitare, an hæc
vel illa daturus sit Deus, ipse nomina-
tim expressit. Habet enim illa for-
malium verborum expressio inclu-
sam promissionem, quod verè illa
sit daturus, quæ ipse præscripsit no-
bis.

4. Præcepto deniq; adigit nos vt
petamus nobis necessaria. Etsi igitur
nos sumus indigni quibus illa den-
tur, tamen mandatum Dei dignum
est cui obtemperemus, quodq; sine
peccato negligere non possumus.

I I I.

Dei facilitas ad promptissimè
exaudiendum omnes qui
inuocant ipsum.

Sicut Esai 65, dulcissimè inquit:
Et erit, antequam clament, ego exau-
diam,

diam adhuc illis loquentibus ego audiam.

Quid porro dulcius cogitari potest, quam quod in eodem colloquio cum Salomone Deus inquit: Oculi mei erunt aperti, & aures meae benigne audient orationem eius, qui in hoc loco orauerit.

Luc. 19. Et Esai. 56. Domus mea domus precatationis est. Quod si precatationis, etiam exauditionis.

Luc. 11. Quis ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouum, nunquid porriget illi scorpiionem?

Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona dona dare liberis vestris, quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum S. petentibus se.

Cumq; promiserit se nobis datu-

D 5 rum

rum Sp̄ritum S. summum scilicet bonum, dabit etiam appendicem summi boni, bona scilicet corporalia, auctarij loco, cum sciat nos non totos ex mente constare, sed adhuc circumferre infirmam massam carnis, cui varijs & diuersis adiumentis opus est.

Matth. 6. Scit pater cœlestis quod opus habeatis omnibus his,

Exempla.

1. Ad Danielelem dicit, Archangelus Gabriel Cap. 9. Daniel, nunc egressus sum vt docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo, & ego veni vt indicarem, quia vir desideriorum es tu. &c.

2. Exod. 17. In pugna populi Israelitici cum Amalechitis, donec
cum

cum precibus attoletet Moses manus ad Deum, vincebant Israeliitæ; collabentibus autem prælassitudine manibus succumbebant Israelitæ.

3. Actorum 4. Precante cætu discipulorum & aliorum credentium, commotus est locus in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu sancto. Item, Act. 9. Incipiente Saulo precationem suam ad Deum, ablegat Ananiam, disertè addens: Ecce enim orat.

4. Quoties item precantibus & sacrificantibus pijs in veteri Testamento, flamma delapsa est è celo, & consumsit victimas?

TERTIVM MEMBRVM.

Adeóq; Deus plus tribuit quam rogatur.

I.

Testimonia.

Jacob

1. Iacob. 1. Si quis vestrum indige-
ret sapientia postulet a Deo, qui dat
affluenter omnibus benignè, ἀπλῶς,
Id est, sine captatione & exprobrati-
one.

Ephes. 3. Eī autem qui potest
omnia facere superabundanter, (A-
lī, cumulatè. Alī, infinita cum re-
dundantia) supra ea quæ petimus,
aut intelligimus, secundum virtutem
quæ operatur in nobis.

Philip. 4. Pax Dei, quæ exupe-
rat omnem sensum, custodiat corda
vestra.

Psalm 130. Speret Israel in Do-
mino, quia apud Dominum miseri-
cordia, & copiosa apud eum redem-
tio. Lutherus enarrans hoc dictum
dulcissime inquit: Ipse pater in cœlis
pluit vberimè super scintillas orati-
onis

onis nostræ, & compensat moram
liberali copia,

ii

Dicta patrum.

1. Disputant quidem iuris consulti
non debere plura esse in sententia iu-
dicis, quam fuerit in libello. Id est,
non debere plura restitui voce iudi-
cis, quam sit petitum in actione. Sed
Deus non utitur erga nos summo
iure,

2. Ambrosius super Lucam. lib.
15. Vberior est Dei gratia quam
precatio. Semper enim plus tribuit
Deus quam rogatur.

Idem super Lucam lib. 10. Sit igi-
tur hoc iam nobis persuasum, semper
plus Dominum tribuere, quam ro-
gatur.

Ba-

3. Basilius in quadam Epistola inquit: Deus omnes res nostras melius gubernat, quam si nostris votis euentus responderent.

4. Præclarè etiam Taulerus dixit, Mentem hominis nunquam esse tam auidam ad accipiendum, quin Deus ad largè effuseq; dandum longè sit propensior.

III.

Exempla.

1. Israelitæ cum in Ægypto dura seruitute premerentur, petunt: sed liberatio protrahitur octoginta annos, & interea seruitus crescit indies putabant esse inanes gemitus, sed tandem euentus respondit, Non tantum enim educuntur ex illa captiuitate ingentibus miraculis, & quidem onusti

onusti opibus, sicut dicebat Deus,
Spoliabitur Ægyptum, sed & potius
untur tandem terra promissa.

2. Ioseph in carcere haud dubie
hanc vnam rem à Deo petiuit, vt li-
beratus falsa infamia redderetur seni
patri. Eductus autem ex carcere, ad
summum sapientiæ, potentiæ & au-
toritatis fastigium diuinitus euehi-
tur, & spargit doctrinam Ecclesiæ
in Ægypto, & fruatur dulcissima
conuuetudine patris Iacob annos
septendecim.

3. Ambrosius super Lucam lib. 15.
Latro rogabat vt sui memor esset
Dominus cum venisset in regnum
suum. Dominus autem ait: Hodie
mecum eris in paradiso.

4. Monica mater Augustini arden-
tissimè à D E O petiuit vt filius à
furo

furore Manichæorum reuocatus
Christo per Bap̄tismum inferetur.
Hac precatōne impetrauit non mo-
do rem optatam, sed illud etiam ἐπι-
σαγμα, vt Augustinus viua voce do-
ctrinam de filio Dei latè propagaret,
& refutatis furoribus Manichæo-
rum, Ecclesiam relictis vtilissimis
monumentis erudiret perpetuo. Si-
cut consolationem illam à viro quo-
dam sancto aliquando acceptam or-
aculi instar retinuit: Impossibile
esse, filium tantarum lacrymarum
posse perire.

IIII.

Occupatio.

Cur aliquando tardius, vel
prorsus non accipiamus opta-
ta & petita bona?

Caus-

Causse.

1. Vel fides est languida. Hieronymus in Matth. cap. 7. Si petenti datur, & quærens inuenit, & pulsanti aperitur. Ergo, cui non datur, & qui non inuenit, & cui non aperitur, apparet, quod non bene petierit, quæsiuerit, pulsauerit.

2. Vel officit gloriæ & nostræ salutî.

Isidorus de summo bono lib. 3. Sæpe multos Deus non exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad salutem.

Augustinus Tract. 102. in Iohan. fol. 339. super verbo: Si quid petieritis patrem in nomine meo, &c. Dicitur propter eos qui nonnulla petunt

E

tunt

tunt à patre in nomine Christi, nec accipiunt. Non enim petitur in nomine saluatoris, quicquid petitur contra rationem salutis, &c, vide ibidem plura.

3. Vel Deus vult exerceri fidem iuxta dictum Macarij homilia 29. Qui non cito accipit optata bona, per hanc moram & longanimitatem Dei magis inflammatur & exuscitatur, vt ardentius cœlestia bona expetat.

4. Vel dat aliquid melius. Vt David inquit. 2. Samuel 16. Fortasse respiciet Dominus calamitatem meam, & reddet mihi Dominus bonum pro hodierna ipsius maledictione.

Bern-

Bernardus Serm. 5. in Quadrag.
Nemo vestrûm, fratres, parui pendat
orationem suam. Dico enim vobis,
quod ipse ad quem oramus, non par-
uipendit eam. Priusquam egressa
sit ore nostro, ipse scribi iubet eam in
libro suo. Et vnum è duobus indu-
bitanter sperare possumus. Quoni-
am aut dabit quod petimus, aut
quod nobis nouerit esse vtilius. Nos
enim quid oremus sicut oportet, nesci-
mus, sed miseretur ille super igno-
rantiam nostram, & orationem be-
nignè suscipiens, quod nobis aut om-
nino non est vtile, aut non tam citò
dari necesse est, minimè tribuit. O-
ratio tamen infructuosa non erit.

QVARTVM MEMBRVM.

Gratitudo Salomonis.

E 2

1. Er-

Erga Deum.

*Et cum Salomon expergisceretur,
 ecce somnium erat, & veniens
 in Ierusalem stetit coram
 arca fœderis DOMINI,
 & obtulit holocausta.*

Cum somnia sint fallacia, ñs, quæ
 à Deo immittuntur, testimonia ad-
 duntur, vnde indubitato constet, di-
 uinitus ea offerri. Quare Salomon
 confirmatus testimonijs diuinis non
 est ingratus Deo, sed sicut hanc acti-
 onem initiationem scilicet, vel inue-
 stituram, vt vocant, regni inchoaue-
 rat, ita & claudit eam gratiarum a-
 ctione. Et autorem, interpretem,
 & executorem somnij vera gratitu-
 dine

dine celebrat, offerens ei holocausta
& hostias pacificas, quæ erant com-
monefactiones de doctrina, & nerui
publicæ congregationis. Non enim
sacrificauit Salomon, sicut gentes
idolatricæ, fictitijs & commentitijs,
numinibus, nec fascinatus opinione
pharisaica de opere operato, sed his
ceremonijs ostendit, quodnam do-
ctrinæ genus profiteretur, & cuius
populi rex & doctor esset.

I I.

Holocausta & hostias pa-
cificas.

Descriptio & ratio sacrificij.

Non tantum pro gratitudine
Deo debita Salomon holocausta ob-
tulit, sicut ea de relex docebat, quæ

E 3

to-

tota cremebantur ad conciliandum,
Dei fauorem, fiducia mediatoris,
quem illæ victimæ monstrabant:
Sed & pacifica, quorum hæc erat ra-
tio:

1. Vt pars coram **DOMINO**
combureretur.

2. Pars item sacerdoti offerenti
cederet.

3. Reliquum vero comederetur
inter eos qui donum attulerant.

Conuiuium ergo à Salomone sub-
ditis instructum, primum erat genus
quoddam communionis. Læti enim
omnes erant coram **DOMINO**,
sicut textus sæpe dicit in Leuitico:
Epulaberis coram **DOMINO**. Et
sanè iusta erat læticiæ causa. Nam
beneficia quæ Deus contulerat Salo-
moni,

moni, ad totum populum redun-
dabant.

Accommodatio ad mysterium
sacræ cænæ Dominicæ. Omnes e-
nim in sacra illa actione tanquam
membra incorporamur & vnimur
capiti Christo, & in ipso coalescimus
in vnum corpus, virtute & operati-
one Spiritus sancti.

III.

Quo ad subditos.

Quod peracto sacrificio rex con-
uiuio excipit omnes seruos suos, testi-
moniū erat singularis humanitatis &
beneuolentiæ, se nimirum erga singu-
los tanquam erga membra & partes
corporis sui affectū esse. Nihil enim
principem magis commendat quam
virtutes illæ leniores, humanitas,
affa

affabilitas, mansuetudo, clementia,
liberalitas. Ideo in Daniele Magis-
tratus pingitur imagine frondosæ,
patulæ, & frugiferæ arboris, sub qua
omnis generis animantia, non tan-
tum optata quiete & umbra, sed &
nidulis & alimentis fruuntur.

Et Psalm. 2. loquens de homa-
gio siue iuramento fidelitatis præ-
stando regi Sinaico, utitur dulcissi-
ma appellatione osculi, quod est ex-
ternum symbolum veri & sinceri a-
moris, cum ait: osculamini filium.
Quia veteribus (sicut adhuc hodie in
quibusdam locis) moris erat, in au-
guratione noui Magistratû, aut con-
ferendis feudis, intercedere oscula,
ut tam Magistratus quam subditi
admouerentur de mutua & necessaria
coniunctione, amore & concordia.

Dicta

IIII.

Dicta sapientum & Exempla.

1. Cyrus lib 2. apud Xenophōtem.
Nulla autem virtus magis allicit ho-
mines ad diligendum quam benefi-
centia.

2. Terentius in Adelphis: Et errat
longè mea quidem sententia, qui im-
perium credat grauius esse, aut stabi-
lius, vi quod fit, quam illud, quod a
amicitia adiungitur.

3. Salustius. Non exercitus, neq̃
thesauri, præsidia regni sunt, verum
amici, quos neq̃ armis cogere, neq̃
auro parare queas officio & fide
parantur.

E 5

4. Si-

4. Sicut Dux ille Vvirtembergi-
cus Eberhardus in comitijs quondā,
cæteris principibus iactantibus sua
bona, vt Palatino sua vina Rhenana,
Electore Saxonico venas metalli-
cas, &c. Respondit, Hoc vnum se
magnificere, sicubi necessitas postu-
let, se in cuiuslibet subditorum suo-
rum gremio tutò quiescere posse.
Cui illi Principes palmam dederunt.
Esse enim hoc omnibus alijs bonis
meritò ac longè præferendum.

Epilogus claudit sermonem cum
pñs ad Deum Opt. Max. votis, pro
omnibus Ecclesiasticis, politicis
& Oeconomicis ne-
cessitatibus.






L I P S I Æ,

Iohannes Beyer im-
primebat,



A N N O,

M. D. LXX XVI.



L P S I A

Johannes Boyer iun

primus



A N I O

M D LXXVI




Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.



153079

X 200 23 17





CONCIO
Habita in arce Merſburgenſi
CVM ILLV
STRISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO, DOMINO
CHRISTIANO,
DVCI SAXONIÆ, SA-
CRI ROMANI IMPERII ARCHIMAR-
ſchallo & Electori Septemviro, Landgrauio Thu-
ringiæ, Marchioni Miſniæ, & Burggrauio Magde-
burgenſi, &c. DOMINO noſtro clementiſſimo,
homagium, vt vocant, ſiue iuramentum
fidelitatis præſtarent Prouinciæ
ſtatus & ſubditi,

A B

ADAMO ROTHERO, D. ET SV
perattendente Eccleſiarum illius Episcopu
tus, DOMINICA Cantate,
Anno 1586.

LIPSIÆ,
Iohannes Beyer imprimebat,
M. D. LXXXVI.